



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Biennii Peripatetici

Complectens Quæstiones Logicales Una Cum Institutionibus Dialecticis Ad Antiquorum Recentiorumque Mentem Resolutas, Nec Non Juxta Modernam Scholarum Peripateticarum Methodum Elaboratas & Explicatas

Kretz, Marquard

Herbipoli, 1749

§. 2. Quænam sint regulæ generales Syllogismorum simplicium?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52248](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52248)

tur omni substantiæ. N. alicui substantiæ, quæ alia est ab eâ, cui identificatur brutum. C. Mirum proinde non est, quòd lignum & brutum non identificenter inter se, quia non identificantur eidem, sed diverso tertio. *Si ais: Rationale, & Risibile non distinguuntur inter se, licet distinguantur à lapide; ergo saltem principium negativum fallit.* R. N. *Conf.* supra jam insinuavi, aliud esse, distinguere *in tertio*, & aliud distinguere *à tertio*; proinde superius dicta hinc consule.

§. II.

Quænam sint Regulæ generales syllogismorum simplicium?

563. *Nota.* Ex principiis, quæ paragrapho proximè superiori retulimus, deducuntur regulæ septem, quas Dialectici generales appellant; eòquod in quacunque figura, & quovis modo observari debeant. Dirigunt autem hæ regulæ potissimum syllogismos simplices, ac constantes medio communi. De his ex ordine agemus.

564. *Regula I. est: In Syllogismo tres tantum termini esse possunt.* Fundatur hæc regula in principiis metaphysicis: *Quæcunque sunt eadem unum tertio, &c. & Quæ sunt distincta in tertio &c.* In Syllogismo enim nil aliud fit, quàm quòd duo extrema connectantur inter se in conclusione, aut à se invicem removeantur, eòquod fuerint connexa cum medio in præmissis, aut ab eo remota. Ad hoc autem non nisi tres termini requiruntur. Multiplicat autem terminos formaliter

liter in syllogismo. 1. *Æquivocatio*. 2. *Mutatio suppositionis*. 3. *Mutatio statûs*. 4. *Ampliatio*. 5. *Distractio*. 6. *Restrictio*. 7. *Mutatio Casûs*. 8. *Diminutio*. 9. *Alienatio*. Vide dicta n. 477.

564. *Obj.* Hi syllogismi boni sunt, & habent quatuor terminos: 1. *Omne animal est sensitivum; sed Bucephalus est aliquod animal; ergo est sensitivus*. 2. *Caseus est substantia; sed mus rodit caseum; ergo rodit substantiam*. 3. *Omne animal est vivens sensitivum; sed Molossus est animal; ergo est vivens*. 4. *Deus superbis resistit; sed Petrus est superbus; ergo Deus Petro resistit*. 5. *Deus præmiis remunerat virtutem; sed Charitas fraterna est virtus; ergo Deus præmiis remunerat charitatem fraternam*. *R.* Hi & similes syllogismi quatuor terminos non habent; quia facile ad tres terminos reduci possunt, & consequenter tribus æquivalent. Sic in primo syllogismo *Omne animal, & aliquod animal* diversos terminos non constituunt, eoquod *aliquod animal* in *omni animal* contineatur, & idem objectum repræsentationis habeant. *Secundus* æquivalet huic: *Rodens caseum est rodens substantiam; sed mus est rodens caseum; ergo est rodens substantiam*. In tertio *Vivens sensitivum*, & *Vivens* non formant duos terminos, quia sub *vivente* in conclusione intelligitur *sensitivum*, Si verò neges id subintelligi, tunc erit materialiter tantum bonus, sicut hic: *Omne referens tantum figuram Leonis est Leo fictus; sed sydus aliquod refert tantum figuram Leonis; ergo sydus aliquod est Leo*. Adde, quod univ^{er}sum non liceat argumentari à termino restricto
ad

ad non restrictum ; plus enim inferretur in conclusione quàm positum erat in præmissis. *Quartus* æquivalet huic : *Superbi sunt , quibus Deus resistit ; sed Petrus est superbus ; ergo Petrus est , cui Deus resistit.* Quòd denique *quintus* bonus sit , facilè dignosces , activum in passivum mutando.

565. *Regula II.* est. *Medium non debet ingredi conclusionem.* Ratio est ; quia aliàs idem probaretur per idem , cùm in conclusione nihil diversum ab iis , quæ in præmissis posita sunt , inferretur. Adde , quòd in syllogismis , qui principiis metaphysicis regulantur , inferri debeat : Duo esse eadem , vel distincta inter se , quia in præmissis eadem , vel distincta dicebantur uni tertio ; adeoque *tertium* , sive *medium* in præmissis tantùm poni necesse est.

566. *Obj.* Hic Syllogismus bonus est : *Omne animal est sensitivum ; hoc animal est animal ; ergo hoc animal est sensitivum.* Licèt medium ingrediatur conclusionem ; ergo. R. N. Quòd medium *sub ratione medi* ingrediatur conclusionem ; Nam *Hoc animal* in præmissis est extremum , & sub extremi ratione in conclusione ponitur. Si reponas saltem in hoc syllogismo : *Omne currens essentialiter movetur ; sed Petrus est currens ; ergo Petrus currens essentialiter movetur.* Medium ingreditur conclusionem , & tamen bonus est ; ergo. R. N. *ant.* vel D. medium ingreditur conclusionem *directè* , ut prædicatum , vel subjectum. N. *indirectè* , ut aliquid determinans subjectum. C.

567. *Regula III. est: In altera præmissarum medium debet perfectè distribui. Ratio est: Quia si medium non perfectè distribuitur in præmissis, extrema non poterunt adæquatè cum illo identificari in præmissis, aut ab eo distingui; consequenter nec poterunt adæquatè identificari inter se, aut adæquatè distingui in conclusione.*

568. *Obj. Hic syllogismus: Petrus est animal; Petrus est rationalis; ergo aliquod animal est rationale; est bonus, licèt medium non distribuatur; ergo. R. 1. N. Suppositum, hanc & alias regulas generales datas esse pro ejusmodi syllogismis, qui constant medio singulari; sed sancitæ universim sunt pro syllogismis constantibus medio communi. R. 2. D. 2dam partem Ant. Licèt medium non distribuatur formaliter. C. & medium non distribuatur æquivalenter. N. Distribuatur medium singulare æquivalenter, h. e. licèt sumi non possit pro suis inferioribus copulativè enumerandis; sumitur tamen secundùm totam suam latitudinem, secundùm quam sumi potest; quod exinde colligitur, quia terminus singularis nequit sumi jam distributivè, sive pro se toto, jam disjunctivè, sive pro parte suâ; sicut alius terminus communis; cùm divisibilis non sit, sed uni soli affixus; quare etiam individuum dicitur. Idem dic de terminis simpliciter, materialiter, aut collectivè supponentibus, si tamen terminus collectivus sumatur pro singulari collectione. Hinc boni insuper sunt sequentes syllogismi: 1. Omnia elementa sunt qua-*

tuor ; sed aër , ignis , terra , aqua sunt omnia elementa ; ergo sunt quatuor. 2. Homo est species ; Homo est universale ; ergo aliquod universale est species. 3. Aliquis oculus est necessarius ad videndum ; Sed aliquis , vel omnis oculus (utrumque enim dicere possum) est vel dexter vel sinister ; ergo oculus vel dexter , vel sinister est necessarius ad videndum. In his enim medium saltem æquivalenter distribuitur ex ratione supra assignata.

569. Regula IV. est : Nihil debet distribui in conclusione , quod non fuit distributum in præmissis. Ratio est : Quia terminus non distributus particularis est , à particulari verò ad universale consequentia non tenet ; cum extrema eate nus sint eadem inter se , quatenus sunt idem cum uno tertio. Contra hanc regulam peccant sequentes syllogismi : *Omne animal sentit ; omne animal est substantia ; ergo omnis substantia sentit. Omne sensitivum est vivens ; nulla planta est sensitiva ; ergo nulla planta est vivens &c.* Si igitur afferatur syllogismus , qui benè concludere videtur , erit tantum bonus materialiter , non autem formaliter. Patet in sequentibus : *Omnis homo est animal ; sed lapis non est homo ; ergo lapis non est animal. Deus est adorandus , sed nullus Sanctus est Deus ; ergo nullus Sanctus est adorandus.* Ecce similes manifestè falsos : *Omnis homo est animal ; sed equus non est homo ; ergo equus non est animal. Deus est invocandus ; sed nullus Sanctus est Deus ; ergo nullus Sanctus est invocandus.*

570. Regula V. est. Ex puris particularibus nihil sequitur. Ratio est : Quia , si utraque præmissa

missa

missa sit particularis affirmativa, medium non distribuitur; quod est contra regulam tertiam: Quodsi verò una affirmativa sit, negativa altera, ita ut medium distribuatur, tunc reliqui termini in præmissis non erunt distributi, quorum unus distribuatur in conclusione, adeoque peccabitur contra regulam quartam, vel certè peccabitur rursus contra regulam tertiam. Hinc vitiosi sunt sequentes Syllogismi. *Aliquis homo non est niger; aliquis Æthiops est homo; ergo aliquis Æthiops non est niger.* *Aliquis homo est sanctus; aliquis homo est impænitens; ergo aliquis impænitens est Sanctus.* *Aliquod animal est homo; aliqua substantia non est homo; ergo aliquod animal non est substantia. &c.*

571. *Obj.* Hic syllogismus: *Aliquis homo est rationalis; aliquod animal est omnis homo; ergo aliquod animal est rationale.* est ex puris particularibus, & est formaliter bonus; ergo. *R.* N. quòd constet puris particularibus; nam minor est prædicatio inordinata, & ordine constructionis sic poni deberet: *Omnis homo est aliquod animal*, ubi subjectum universale, propositionem quoque universalem facit. *Inst. 1.* Hic Syllogismus ex puris particularibus bonus est: *Aliquis homo est studens Philosophiæ; sed ille homo est Petrus; ergo Petrus est studens Philosophiæ.* *R.* N. quòd sit ex meris particularibus; medium enim æquivalente singularare est, adeoque syllogismus est expositivus, de quo hæ regulæ universim non procedunt. *Inst. 2.* Hic syllogismus ex meris particularibus est formaliter bo-

nus : *Equus est brutum ; sed aliquis homo non est brutum ; ergo aliquis homo non est equus.* R. N. rursus syllogismum constare meris particularibus ; sed est in *Baroco* , & majorem universalem habet ; cùm major sit propositio indefinita in materia necessaria , quæ universali æquivallet. *Inst. 3.* Hi Syllogismi boni sunt : *Aliquod rationale est Petrus ; aliquod vivens non est rationale ; ergo aliquod vivens non est Petrus.* *Aliquod substantivum est homo ; aliquod verbum non est substantivum ; ergo aliquod verbum non est homo.* Sed hi constant meris particularibus. R. N. *min.* Si enim major utriusque fiat propositio ordinata , patebit syllogismos præfatos ex meris particularibus non esse , sic enim erunt in figura tertia , & saltem *æquivalenter* in modo *Baroco*. Adde , quòd regulæ syllogisticæ universim (ut jam aliquoties monui) pro iis syllogismis inventæ sint , qui habent extrema communia ; quorum rationes sæpè cessant in syllogismis expositiviis , aut habentibus *terminos singulares* , vel *collectivè* , *materialiter* , aut *simpliciter* supponentes. *Inst. 4.* Hic syllogismus : *Aliquod rationale est homo ; nullum brutum est rationale ; ergo nullum brutum est homo ;* ut jacet falsus est , licet bonus sit , & in *Camestres* , si major ordinata fiat , dicaturque : *Homo est rationalis.* ergo idem dicendum est de syllogismis in præcedenti instantia allatis. R. N. C. *Disp. est* : quia præsens syllogismus , ut jacet , manifestè vitiosus est , quia proceditur à non distributo ad distributum. *Econtra superiores syllogismi , etiamsi concedatur ,*

atur, quòd, sicut jacent, sint ex meris particularibus, vitiosi tamen non sunt; cùm à regula excipiantur, quia respectu illorum ratio regulæ cessat.

572. *Regula VI. est. Ex puris negativis nihil equitur. Ratio est.* Quia in puris negativis extrema inter se affirmari, nec negari possunt; Imprimis non possunt affirmari; quoniam in præmissis identificata non fuerunt cum eodem tertio. Deinde nec possunt negari; quia non in tertio sed à tertio duntaxat distincta fuere in præmissis. Vide dicta de hac regula in *Prolegomenis*, à n. 22. usque ad n. 23.

573. *Obj.* Hic syllogismus ex meris negativis formaliter bonus est: *Quod non est spiritus non est angelus; Lapis non est spiritus; ergo lapis non est Angelus.* R. N. quòd sit ex meris negativis: Minor enim infinitari debet, & dici: *Lapis est non spiritus*, sive lapis est distinctus à spiritu. Cum major eundem sensum habeat. Poteris etiam resolvere hunc syllogismum juxta modum *numero modò citato* allegatum. *Inst.* Quælibet propositio negativa reduci potest ad infinitantem; ergo syllogismus ex meris negativis erit bonus. R. T. *ant.* Hoc enim nugari potius foret, quàm prudenter Philosophari. N. *Conf.* Quia factò supposito syllogismus sæpè habebit aliud vitium, v. g. quatuor terminos ob medium semel infinitatum, & semel non infinitatum &c.

574. *Regula VII. est: Conclusio sequitur partem debiliorem præmissarum; h. e. i. Si una præ-*

missa sit *particularis*, etiam conclusio talis erit: aliàs procederetur à non distributo ad distributum. 2. Si una præmissa sit *negativa*, conclusio pariter *negativa* esse debet: aliàs inferretur, extrema esse idem inter se, quia non fuerunt idem cum tertio in præmissis. 3. Si una præmissa sit *contingens*, aut *probabilis*, aut *falsa*, aut *naturalis*; etiam talis ponenda est conclusio; aliàs assereretur, vel negaretur connexio necessaria, certa, vera, aut supernaturalis inter extrema in conclusione; quorum tamen connexio contingenter tantum, aut probabiliter, aut falso, aut naturaliter asserita, vel negata fuit in præmissis. Ex his deduces rationem Regulæ generalem esse hanc: Quòd connexio duorum inter se in conclusione fortior & amplior esse non valeat, quàm fuerit in præmissis cum tertio; aliàs effectus foret nobilior suâ causâ.

575. *Obj. 1.* Hic syllogismus, quem affert Aristoteles lib. 2. *de cælo* cap. 4. *Omnes stellæ, quæ non scintillant, sunt propè nos; sed planetæ non scintillant; ergo sunt propè nos*: minorem negativam habet, & conclusionem affirmativam, & tamen bonus est; ergo. *R. N.* minorem negativam esse; cum enim *non* in majori infinitanter sumatur, in minori quoque sic sumi debet, ut retineatur idem medium. Adeoque minor sic ponenda est: *Planetæ sunt stellæ non scintillantes.* *Inst. 1.* Hic syllogismus: *Vel nox est, vel dies est; sed dies non est; ergo nox est*; non servat hanc regulam, & tamen bonus est; ergo. *R. D. conf.* Ergo conclusio non sequitur par-

partem debiliorem in categoricis syllogismis. N. in iis, in quibus major membra inter se pugnantia continet, aut *formaliter*, vel *virtualiter* contradictoria. C. Ratio autem, cur in his ultimis syllogismis conclusio non sequatur partem debiliorem, est hæc: quia una pars contradictionis in minori negatur, igitur altera pars in conclusione necessariò affirmatur, aut vicissim. Hic verò de syllogismis categoricis duntaxat loquimur. De hypotheticis, ac compositis postea agetur. *Inst. 2.* In hoc syllogismo: *Aliquod animal est Petrus; nullum animal est planta; ergo nulla planta est Petrus.* Conclusio est universalis, & major est particularis; ergo. R. 1. Regula hæc non spectat syllogismum constantem termino singulari; quia in tali casu cessat ratio regulæ. R. 2. In hoc syllogismo est prædicatio inordinata, cum terminus singularis de particulari prædicetur. Igitur ordinatè sic poni deberet syllogismus: *Petrus est aliquod animal; nullum animal est planta; ergo Petrus non est planta: qui utique bonus est.* *Inst. 3.* In hoc syllogismo: *Omne brutum est substantia; nullum brutum est rationale; ergo aliquod non rationale est substantia.* Conclusio est particularis affirmativa licet una præmissa sit universalis affirmativa, & altera negativa, & tamen syllogismus benè concludit. ergo. R. D. *2dam partem ant.* Et tamen benè concludit vi formæ syllogisticæ præcisè. N. vi conversionis. C. Allatus syllogismus, ut hic jacet, habet quatuor terminos: *Brutum, Substantia, Rationale, Non rationale.* Si verò

conclusionem sic convertas: *Ergo aliqua substantia non est rationalis*, eique applices præmissas sic: *Nullum brutum est rationale; omne brutum est substantia*: habebis syllogismum bonum in *Fellapton*. *Inst. 4.* In hoc syllogismo: *Quidquid physicè existit, est ens; sed Paulus physicè existit; ergo est ens*: minor est contingens & conclusio est necessaria; ergo. *R. D. ant.* Et conclusio *materialiter* sumpta, & *ut consequens*, est necessaria. *C. formaliter* accepta, & *ut deducta*, sive *ut consequentia* est *N. h. e.* Petrus est quidem secundum se necessario ens: quoniam verò in præsentis Syllogismo asseritur, Petrum ideò esse ens, quia existit; hinc sicut existit contingenter, ita etiam vi hujus syllogismi est contingenter ens. Eodem modo in hoc syllogismo: *Omnis lapis est substantia; sed Paulus est lapis; ergo Paulus est substantia*: Conclusio *materialiter* accepta vera est, non autem *formaliter*; cum falsum sit Petrum ideò esse substantiam, quia lapis est.

576. *Obj. 2.* Ex hac regula sequeretur, præmissam nobiliorem, v. g. universalem, aut affirmativam, non esse causam conclusionis; sed hoc dici nequit; ergo. *R. D. maj.* Non esse causam quatenus nobilior, v. g. universalis, vel affirmativa est. *C.* quatenus connexio est unius extremi cum medio. *N. Inst. 1.* Effectus sequitur causam perfectiorem; v. g. dum duo equi eundem trahunt currum, currus sequitur equum fortiolem; ergo etiam conclusio præmissam perfectiorem sequitur. *R. D. ant.* Sequitur causam perfectiorem, si utraque causa *divisibiliter*
in-

influat, nec causa perfectior ab imperfectiore impediatur. C. si ambæ *indivisibiliter* influant, & perfectior impediatur ab imperfectiore. N. Præmissæ autem influunt in conclusionem *indivisibiliter*; i. e. constituunt unam *indivisibilem* connexionem ac causalitatem, ita, ut neutra secundum se accepta, causalitatem propriam habeat, sed una dependeat ab altera, & impediari possit. Ex his etiam patet disparitas ad paritatem allatam; nam equi *divisibiliter* solum trahunt eundem currum, i. e. quilibet habet causalitatem propriam, & ab altero independentem, nec ab eo impedibilem. *Inst. 2.* Si equus ex una parte vinculis ferreis, ex altera verò parte funiculo debili simul alligetur, dicitur simpliciter firmiter ligatus; ergo etiam intellectus præmissâ unâ debili, & alterâ firmâ firmiter ligatur in ordine ad assensum conclusionis. R. D. *ant.* Si equus per dicta vincula ligetur *divisibiliter*. C. si *indivisibiliter*, hoc est, si uno ligetur vinculo, quod ex parte ferreum est, ex altera verò funiculo debili constat. N. In hoc ultimo ligamine est paritas cum præmissis in conclusionem influentibus, non autem in priori. *Inst. 3.* Ex universalibus præmissis sequi potest particularis conclusio; ergo etiam ex particulari universalis. R. N. *Cons. Disp.* est: Quia ex eo, quod plus est, facile sequitur, quod minus est, non verò vicissim. Adde, quòd particularis sub universali contineatur. *Inst. 4.* Denominatio sumitur à potiori; ergo conclusio sequitur partem nobiliorem. R. I. Sequeretur, quòd

quòd omnis effectus à Deo, & creatura productus simpliciter infinitus dici deberet. R. 2. D. ant. sumitur à potiori in prædicatis divisibilibus ratione *extensionis* in quantitate, aut ratione *intensionis* in qualitate; sicut æthiops simpliciter niger dicitur, licet sit secundum quid albus. C. In prædicatis indivisibilibus. N. in his enim valet aliud axioma: *Bonum ex integra causa, malum ex quolibet defectu.* Inst. 5. Habitus supernaturales cum intellectu producant eundem actum, actus tamen non naturalis, sed supernaturalis dicitur; ergo à pari. R. N. C. *Disp. est*: Quia habitus, & intellectus producant actum ut duæ causæ partiales, & in diverso genere causæ. Præmissæ econtrà conclusionem in eodem genere causæ, & ut una causa producant. *Nec obstat*, quod præmissa certa v. g. fortior sit probabili; nam licet fortior sit ratione suâ, fortior tamen non est in ordine ad conclusionem: quia hanc non ratione suâ, sed ratione connexionis extremorum cum medio causat, quæ in concursu præmissæ debilis, simpliciter debilis est, sicut ligamen constans parte ferreâ & firmâ, & alterâ parte debili v. g. ex filo serico, simpliciter debile dicitur.

577. *Reflexio.* Vitiosus est omnis syllogismus categoricus, qui contra unam ex his regulis peccat. Id tamen observatum hucusque est, quòd syllogismi vitiosi plerumque à tribus hisce regulis deficient: *syllogismus tres terminos habere debet. Medium debet in altera præmissarum distribui. Non debet procedi à non distributo ad distributum.*

butum. His enim & aliæ regulæ innituntur. Ad has proinde si quis benè advertat, syllogismorum fallacias, ac vitia facilè deteger. Siquis autem varias, quæ in syllogismis occurrere possunt, fraudes accuratius inspicere cupiat, is utiliter legere per otium poterit Tract. 4. p. 2. *Dialecticæ P. Du Trieu, Item Cornæum Tract. 4. Summul. Semery & alios.*

§. III.

Quænam sint speciales cujuslibet figuræ Regulæ?

578. *Dico.* Allatæ hæctenus, & explicatæ generales syllogismorum leges Scaturigines quasi sunt, ex quibus speciales cujuslibet figuræ regulæ derivantur. Hinc specialem non transgredieris regulam, quin contra aliquam ex generalibus pecces. Proinde regulis generalibus jam fusè satis explicatis, superfluum duco, specialibus figuræ cujuslibet regulis diutiùs immorari; eas igitur breviter recensebo, suisque rationibus succinctè stabiliam. Sunt autem sequentes:

REGULÆ PRIMÆ FIGURÆ.

Sit minor affirmans, nec major Particularis.

Complectitur hic versus duplicem primæ figuræ regulam. *Prima est: Ex minore negante nihil sequitur. Ratio est: Quia proceditur à non distributo ad distributum; ut videre est in hoc syllogismo: omnis homo est animal; nullum brutum est homo; ergo nullum brutum est animal: ubi Animal in majori non distribuitur, distribuitur autem in*

Con-